Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 93
Quelle:
Copyright:

Explicit Ecclesiasticus per me Sacerdotem Johannem dictum Bohemum Anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto et hoc in Castro Boleslawiensi Capellanum ibidem. Quo anno fuit pestis valida.

II. *fol.* 152. Congeriem quandam Homiletis, Catechetisque opportunam, quae constat Expositione Orationis dominicae secundum *Thomam de Aquino*, Salutationis Angelicae, et Symboli Apostolorum, diversis Locis moralibus PP. Definitionibus Vitiorum, adjunctis eorum adpellationibus *Bohemicis*, et Collectione Proverbiorum ethicorum, nullo certo ordine.

III. *fol.* 200. Orationem invectivam in Sacerdotes degeneres et immemores officii, quae incipit: *Cogitante me quicquid liceret et expediret loqui* &c. *Jacobi de Misa* est, et infra recurret.

IV. *fol.* 225. Farraginem Autoritatum et Observationum theologicarum de diversis materiis, quas inter *Objectiones communes aduersariorum contra calicem domini*, item *de Communione paruulorum*, et quaedam *Bohemica*, unde mentem et patriam Compilatoris cognoscas.

V. *fol.* 272. *De modo artificioso Studendi Intelligendi et Memorandi.* Capitibus VII. constat Opusculum, quorum I. inscribitur: *De organo anime, quo res comprehendit sapit memorat et intelligit.* et incipit: *Magnam cuiuslibet artis vim comparat artifex cum suorum instrumentorum meliorامenta in primis coaptat* &c. Opportuna literarum Studiosis monita, etiam e Medicorum Schola petita, per decursum adhibentur ab Autore in Veterum lectione satis versato, cujus nomen ad calcem ita proditur: *Hoc opus terminatum est sub Anno Domini M°. &c. LVII°. compilatum per Reuerendum magistrum Martinum.* Quis hic *Martinus*, e *Boh. Docta Balbini* eruere non potui. Certe is in gratiam Academicorum *Pragensium* scripsit.

VI. *fol.* 287. p. 2. *Tractatulus Beati Isidori de honestate vite.* Initium: *Dilecte fili mi dilige lacrimas* &c. Excerpta potius et interpolata e L. II. *Synonymor.* ejus a fine C. V. edit. *Breul.* p. 315. sed et ex aliis ejus Scriptis. Ita, quae sub finem leguntur de *duabus Alis Orationis*, depromta sunt ex *Orig.* L. VI. edit. *cit.* p. 83. Ad calcem fragmenti nostri: *Explicit libellus moralis B. Isidori Episcopi de institutione bone vite. Sub anno domini M°. CCCC°. LVIII°.*

VII. *fol.* 292. Miscellanea theologica resumuntur. Inter quae: *Pro Communione Parvulorum.*

XLII. VII H. 38.

Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 66. 4. charactere partim majore, partim minore exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. *Cantica Canticorum*, et quidem *fol.* 1. Fragmentum Exempli unius, quod complectitur C. I. *Versus* 5—11. tam glossa inter lineas, 716